

**Zeitschrift:** Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie  
**Band:** 15 (1901)

**Artikel:** De scientia speculativa e practica  
**Autor:** Holtum, Gregorius de  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-761712>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 25.11.2024

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

Wir sind daher auch keineswegs der jüngst zur Aussprache gelangten Ansicht, daß die Wissenschaft (man meinte zunächst die Theologie) die „nicht mehr verständlichen und noch weniger befriedigenden aristotelischen Begriffe“ (wobei man wohl an die oben hervorgehobenen dachte) durch andere ersetzen werde, die dem vielfach verbesserten Wissen entsprächen. Im Gegenteil schreiben wir es der Theologie als ein Verdienst zu gute, daß sie die verpönten „Begriffe“ für eine wissenschaftlich kräftigere, von dem positivistischen Vorurteile befreite Zukunft aufbewahrt.



## DE SCIENTIA SPECULATIVA ET PRACTICA.

Scriptis P. GREGORIUS DE HOLTUM O. S. B.



Notat Card. de Aguirre (*Philosophia rationalis . . . t. I. tract. I. disp. 5. sect. 1. n. 3*): „habitus scientiae speculativum a practico tripliciter differre: primo ex parte obiecti, quoniam obiectum scientiae speculativae est veritas quam contemplatur intellectus, practicae vero res, quae media operatione sive actione fit. Secundo ex parte finis, quoniam proprius et intrinsecus finis scientiae speculativae est pura contemplatio s. consideratio sui obiecti, practicae autem ipsa operatio s. praxis, de qua postea. Tertio ex parte modi procedendi: quoniam scientia speculativa procedit modo resolutorio et contemplativo: practica vero modo compositivo et operabili. Unde colligitur ad rationem habitus s. scientiae speculativae simpliciter exigi, ut habeat pro obiecto verum, pro fine contemplationem, et modo resolutorio procedat: ad rationem vero habitus s. scientiae practicae opus esse, ut habeat pro obiecto rem operabilem, pro fine praxim s. operationem, et modo compositivo procedat“. Haec, quae omnino secundum s. Th. dicta sunt (cf. 1. p. q. 14. art. 16 c; q. 79. a. 11; q. 86. a. 1. ad 2; q. 22. a. 3 ad 1<sup>m</sup>. De Verit. 92, 8 c. q. 3. 3, 0. In 3. lib. Sent. d. 33. q. 2 ad 1<sup>m</sup>; d. 35. q. 1. a. 3. q. 2 ad 2<sup>m</sup>), accurata expositione et probatione indigent: 1<sup>o</sup> quia haec doctrina cum diversis materiae philosophiae immo et theologiae intime connectitur: 2<sup>o</sup> quia controversiae de variis scientiis, cuiusnam naturae, speculativae an practicae sint, sine notitia huius doctrinae componi non possunt: 3<sup>o</sup> quia multi scriptores tum veteres tum recentes hanc doctrinam minus recte vel saltem truncate et

insufficienter tractaverunt. Et non taedeat, quosdam in medium proferre. Dicit v. g. Toletus in suis Commentariis in Universam Arist. Log. de Dialect. in comm. q. 3: „Dicitur scientia practica illa, cuius cognitio ordinatur ad opus, i. e. quando per eam cognoscimus ut operemur, speculativa vero, per quam solum cognoscimus, nec talis cognitio ad opus est aliquod ordinata.“ De Maria (Philosophia peripatetico-scholastica vol. I. Rom. 1892) p. 306 haec tantum habet: „principio quidem scientiae tribuuntur in speculativas et practicas, secundum quod intellectus in obiectis cognoscendis sistit in simplici veritatis contemplatione, vel in quod cognitione assequutus est, ordinat ad opus“.

Notandum autem est in primis, ut speculatio sensu stricto habeatur, tres conditiones quas d' Aguirre cum s. Th. recenset, simul esse oportere.

Iam ad primam conditionem quod attinet, s. Th. eam derivat ex fine, quem homo sciendi cupidus sibi praefigit, et quia actus humanus non habetur sine fine, oportet omnino, si finis est aliquando speculativus, et ipsum obiectum aliquando speculativum existere. Qua de re scribit s. Th. in lib. Boëthii de Trinitate q. 5. a. 1 c: „respondeo dicendum, quod theoreticus s. speculativus intellectus in hoc proprie ab operativo s. practico distinguitur, quod speculativus habet pro fine veritatem quam considerat, practicus autem veritatem consideratam ordinat in operationem tamquam in finem, et ideo dicit Philos. 3 de anima, quod differunt ad invicem fine, et in 2 Metaph. dicitur, quod finis speculativae est veritas, finis operativae s. practicae actio. Cum igitur oporteat materiam fini esse proportionatam, oportet practicarum scientiarum materiam esse res illas quae a nostro opere fieri possunt ut earum cognitio in operationem quasi in finem ordinari possit. Speculativarum vero scientiarum materiam oportet esse res quae ab opere nostro non fiunt, unde earum consideratio in operationem ordinari non potest sicut in finem, et secundum harum rerum distinctionem oportet scientias speculativas distingui.“ Quibus verbis obiectum speculativum requiri ut scientia speculativa sit, et existentiam huius obiecti fluere ab ordine ad intentionem agentis iam probatum est. Sed de natura huius obiecti iam iam determinandum est, quod, ut patet, fieri non potest nisi simul agatur de fine agentis. Res vero omnes, quae et prout omni ex parte operationibus humanis non substant, et quorum contemplatio in primaria et formali intentione speculatoris non respicit operationem ponendam a considerante, certe ad habitum speculativum (servandis servatis) pertinere evidens est. Tales res sunt v. g. res divinae. Sed possunt res contemplandae

etiam a potentiis procedere nostris, v. g. a voluntate et potest harum rerum, ut procedere possunt, **contemplatio** iterum dirigi ad operationem aliquam nostram. Quaeritur ergo an directio ad quamcumque operationem prohibeat contemplationem esse. Et s. Th. in Com. libr. Boëthii de Trinitate nihil ponit hac de re, sed 1. 2. q. 57. a. 1 ad 1 haec habet: „Duplex est opus, scilicet exterius et interius. Practicum ergo vel operativum, quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculativus, sed tamen habet ordinem ad interius opus intellectus, quod est speculari verum, et secundum hoc est habitus operativus“.

Ubi non putandum est, s. D. intelligere per opus externum solum opus ab actione transeunte fabricatum: nam opus externum formaliter ab ipso opere quod est **intra** intellectum distinguit. Solummodo ergo operatio quae est alia ab intellectu excluditur a s. Thoma, ita ut finis agentis, i. e. speculantis res a potentiis humanis productas, quando ordinat hanc contemplationem ad operationem aliam ab intellectu, prohibeat esse scientiam speculativam, ut si intendit fieri aliquid secundum ipsam considerationem rectam rationis in voluntate v. g. Sit exemplum: res producibilis a voluntate humana sunt actus humani. Horum consideratio secundum s. Th. pertinet ad habitum practicum, quia intentio agentis est, ut fiat iterum aliquid in voluntate, sc. ordinatio et rectificatio actus humani, inductio quasi formae in materiam actus. Ergo infertur habitus practicus. Et huic sententiae s. Th. consentit etiam plane Doctore subtilis qui in Prol. Sent. q. 4. n. 3 praxim definit: „actus alterius potentiae quam intellectus, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectae ad hoc, ut sit actus rectus“. Quando ergo intellectus tales actus considerat, habetur consideratio practica. Ubi nota, quod ipsa consideratio in se inspecta est aliena a ratione praxis; est in se inspecta solum, sicut omnis actus intellectus, cognitio et speculatio veri, quod est obiectum proprium intellectus. „Restat igitur, notat bene d' Aguirre, ut si qua actio intellectus habet rationem praxis, id sola extensione habeat, prout extenditur ad dirigendam actionem alterius potentiae, nimirum voluntatis vel alterius potentiae subditae imperio voluntatis.“

Ubi nota hanc vocem „ad dirigendam“ ad occurrendum alicui obiectioni poni debere. Intellectus enim, ut se refert ad alias potentias, est dirigere: hoc est ipsi proprium et ipsa haec directio est directio sensu proprio; si vero intellectus suos ipsius actus dirigere dicitur, habetur directio sensu latiori. Unde iam patet actum ipsius intellectus, ad quem intentio considerantis

redit et prout ad ipsum reddit, non impedire existere habitum speculativum. Etiam si ergo Logicus, contemplando regulabilitatem artificialem actuum mentis in ordine ad procedendum ordinate, faciliter et sine errore ad cognitionem veritatis, intentionem suam ad hoc dirigeret, ut faceret opera illa artificialia, propter hoc non desineret esse speculativus. Nam opera illa sunt intra ipsa mentem.

Concludamus iam hoc punctum secundum his verbis: Intellectus in se inspecti est sola consideratio. Si ergo haec ipsa consideratio iam non mere consideratio et opus intellectus audit, evidens signum est, illam uniri cum voluntate per directionem eius, id quod eo fit, quod intentio considerantis ipsam suam considerationem refert ad voluntatem et potentias ipsi substantes, ut secundum institutam considerationem fiat operatio a voluntate et eius iussu etiam ab aliis potentiis diversis ab intellectu.

Ex dictis iam statim sequitur, quod actiones naturales potentialiarum internarum et externarum, quae rationi nullatenus substant, quia a ratione dirigibiles non sunt, ordinem nequeunt dicere ad habitum practicum. Hanc ob rationem imaginatio subitanea, nutritio, vegetatio, visio indeliberata, immo actus indeliberati et necessarii ipsius voluntatis, excluduntur hic omnino.

Vocatur autem actio voluntatis ab ipso intellectu practico regulata praxis, et propterea terminare possumus hoc secundum punctum dicentes, omne quod in actionibus humanis rationem praxis habet tollere habitum speculativum.

Iam tertia conditio scrutanda est quae requiritur, ut adsit habitus speculativus. Est autem haec, ut modo resolutorio et contemplativo procedatur. Haec conditio intime connectitur cum praecedente. Nam si finis non potest esse praxis, neque media ad finem eandem rationem habere debent ex illo s. Th. (C. G. I, 1.) „Omnium ordinandorum ad finem ordinis regulam ex fine sumi necesse est.“ Haberent autem illam rationem, si in modo procedendi ad finem qua tali per se exsisteret compositio. Nam ipsa praxis ex parte finis se tenens habet rationem compositionis, i. e. alicuius compositi, quia exhibet actionem voluntatis vel alterius ab intellectu potentiae conformiter ad dictamen rationis elicitam, ut dicit Scotus l. c. Ergo habetur materia s. quasi materia et forma s. quasi forma. Ergo et ipsa media ad compositum et habitum practicum inferendum rationem compositi prae se ferant oportet et media ad habitum speculativum gignendum rationem compositi habere non debent. Ergo stat conclusio. Quibus etiam iam patet, quid in concreto per habitum speculativum quantum ad eius tertiam conditionem prohibeatur.



Prohibetur sc. effectio operis extra-intellectualis. Non ergo modo compositivo procedi putandum est, si fit opus intra intellectum, quod v. g. habetur in Logica. Nam ipsa docet exquirere aptas partes conceptuum mentis, ut puta subiectum, praedicatum, genus etc., eaque omnia optime definit, explicat et efformat: demum componit in unum opus intellectuale. Et praeterea ipsa modo quoque resolutorio procedit, quoniam confectum opus huiusmodi intellectuale in sua resolvit principia tum ex parte materiae substratae tum ex parte formae s. modi combinationis.

Quibus absolutis, iam perfecte distinguere ab invicem possumus habitum speculativum et practicum. Neque iam ex dictis difficile est iudicare, an Ethica sit scientia practica. Certe est scientia practica, quia omnibus conditionibus enumeratis satisfacit. Et ita communissime senserunt veteres Scholastici, teste P. Joh. Bapt. de Benedictis, qui in Phil. perip. t. I. q. prooem. cap. 4. § 2 scribit: „de philosophia morali omnes, quod sciam, pronuntiant eam esse scientiam simpliciter practicam“.

Et Logicam constat esse scientiam simpliciter speculativam, quae ab extrinseco evadit simul practica eo, quod tamquam ars et instrumentum assumitur ad scientias practicas et artes.

Quae de caractere Logicae sententia thomistica confirmari videtur tum eo, quod principia eius speculativa sunt, de quo videri potest v. g. d'Aguires l. c. tum eo, quod alias scientias in speculationibus earum qua talibus perficit, id quod praestare non posse videtur quin et ipsa sit speculativa. Nam actus, qui simpliciter perficit (non, ut potentia sensitiva in homine solum cum addito) maioris vel saltem aequalis perfectionis cum perfectibili debet esse. Et si opponitur, ex hoc sequi, Logicam esse parvis vel omnino maioris perfectionis Ethicâ, immo Metaphysica, quod repugnare videtur, respondendum est *a*: hoc non esse absurdum, si attendantur scientiae ex parte modi sciendi, qui eis administratur ab alia scientia, a Logica.

*b*) aequalitatem et inaequalitatem perfectionis posse secundum multiplicem respectum in scientiis ad invicem comparatis attendi.

